

dicatur praevidiam necessario esse ad omnem creaturae actionem. Unde videat Cl. Thomista non fuisse Molinam, Suarezium etc. concursus simultanei parentes, sed praecursores et magistros habuisse, in ea re, antiquos theologos cum Cajetano.

102. Suarezius nullatenus discrepat a Molina et Cajetano in eo loco Summae (1) interpretando: scilicet ait, intelligendum de simultaneo concursu; quia vero gravibus semper, quidquid dicat censor ille, in iudicando ducitur momentis, rationem subjicit: «Ne dicamus D. Thomam hunc aut ignorasse, aut tacuisse (concursum simultaneum); quod et per se est absurdum, et repugnat eidem D. Thomae, dicto a. 5, ad 2; ubi ex illa applicatione (causae secundae ad agendum) concludit unam et eandem esse actionem primae et secundae causae; quod solum est verum propter concursum per modum actionis, ut seq. Sect. «declarabitur» (2).

103. Ex hac autem solidissima interpretatione illius loci Summae, a Cajetano, Molina, Suarezio, et ipso Divo Thoma (in resp. ad 2) comprobata, intelligitur, quam gravi in nixu fundamento dixerit Suarezius, retractasse D. Thomam quae in q. 3. *de Pot.* dixerat. Perpendas D. Eximii verba: «Verum est, D. Thomam q. 3, de *potentia*, a. 7, addere tertium, nimirum, virtutem instrumentalem fluentem, quam recipit causa secunda a prima, ut agat tamquam instrumentum ejus: disserte enim hanc numerat tamquam distinctam ab applicatione et ab efficientia seu conservatione ipsius causae secundae et virtutis ejus. Existimo tamen D. Thomam tacite retractasse illam doctrinam in l. p. (q. 105, a. 5), ubi exquisite tractans omnem modum, quo causa prima operatur cum secunda, illam virtutem omisit; quod facere non potuisset in proprio ac praecipuo loco, si existimasset, esse per se necessariam ad concursum primae causae: et similiter, 2 *Contr. Gent.* c. 70, illius non meminit» (3).

Sed de his satis. Ad objectandum pauca sufficiunt dicta; ad dissolvendas autem objectationes, nisi claras proferas rationes, fides tibi non adhibebitur: ita fert ad malum credendum humana proclivitas.

(1) Q. 105, a. 5.—(2) *Metaph. Disp.* 22, S. 2, n. 49.—(3) *Metaph. Disp.* 22, S. 2, n. 52.

CAPUT III.

De Deo providente et creaturas movente.

ARTICULUS I.

De Providentia generatim.

THESIS X.

Omnes creaturae, rerumque eventus divinae subduntur Providentiae. Est doctrina fidei.

104. **Nota.** Providentia Dei nihil est aliud, quam ordo rerum in mente divina existens, cum proposito illum exequendi. Mandatur autem hic ordo executioni, post creationem, per conservationem et gubernationem, qua ad suum finem assequendum disponuntur.

Prob. 1.^o Ex Vat. Conc. *De fide cath.* c. 1. «Universa quae condidit Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (1). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.»

2.^o Ex Evang. (2): *Respicite volatilia coeli... Pater vester coelestis pascit illa... Considerate lilia agri... Si autem foenum agri... Deus sic vestit... Nolite ergo solliciti esse... Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.*

105. 3.^o Eusebius (3) ait, quod «omnes Dei providentiam fateantur.» Hieronymus autem (4): «Sunt qui providentiam Creatoris usque ad rationalia confiteantur; bruta autem fortuitis casibus asserant, vel perire, vel vivere. Propheticusque sermo declarat, nihil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei: quia alia propter se, alia in usum hominum creata sunt.»

Et iterum (5): «Quare impius vincit, et justus vincitur?... Dicam quidquam sine te fieri, et, te nolente, tantum posse impium? Hoc sentire blasphemum est. Cum itaque tu sis universitatis rector et dominus, tu necesse est facias, quod sine te fieri non potest.»

(1) Sap. VII, 1.—(2) Matth. VI, 26, 28, 30-33.—(3) *Prepar. Evang.* l. 1, c. 4.—(4) In Jerem. XXXII, 27.—(5) In Abac. 1; 13.

4.° Deus est conditor omnium rerum, cooperatur cum omnibus causis secundis, ita ut omnes earum actiones et effectus ab illo pendeant. Atqui nihil potest a Deo sapientissimo fieri, nisi propter finem et sibi et actionibus atque effectibus suis congruum: ergo omnia a Deo ordinantur et gubernantur.

106. Objic. 1.° Apost. ait (1): *Numquid de bobus cura est Deo?*

Resp. Dist. et explico: quatenus, scil., ordo in istis materialibus non respicit principaliter bestias, sed magis homines; conc. Quasi Deus nullam gerat bestiarum curam; nego. Explicatio ex ipso fluit contextu.

107. Objic. 2.° Quae a Deo non producuntur, neque providentur: sed Deus non est causa peccatorum; fiunt enim contra intentionem illius, abutente peccatore Dei concursu: ergo de peccatis non est providentia.

Resp. Dist. *maj.* Neque providentur *per se*, seu voluntate absoluta; conc. *maj.* Per accidens, seu voluntate conditionata et permissiva; nego.

Scilicet, peccata non vult Deus, neque materialiter; permissionem tamen illorum vult et providet absolute; effectus autem peccatorum, puta, poenitentiam, punitionem, vult et providet conditionate.

108. Sic enim respiciebat divina providentia actiones liberas hominum et divinum concursum. «Volo efficaciter libertatem creaturae proxime expeditam ad bonam et malam operationem, ut bona, quam unice intendo et procuro, libere et meritorie ponat; ideoque nolo ex propria determinatione impedire malam, quam tamen non approbo, sed serio detestor, ac prohibitam manere volo et punitam, si fiat.» Inde patet, 1.° Hoc decretum, seu providentiam, esse efficax et absolutum, quantum ad applicationem omnipotentiae indifferentem in actu primo, seu relictivam indifferentiae in actu secundo. 2.° Non esse efficax ut inferat infallibiliter operationem bonam, licet involvat beneplacitum in illa. 3.° Nullatenus esse volitionem intentivam operationis malae, sed detestativam potius; esse tamen permissivam, quatenus non vult propria determinatione eam impedire. 4.° Pravam operationem poni praeter, imo contra, beneplacitum Dei: quia decretum hoc divinae providentiae non dat creaturae libertatem ad actum pravam, nisi cum intentione ut ea libertate non utatur nisi ad illum meritorie omittendum, juxta illud; *Beatus vir, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit* (2).

(1) 1 Cor. IX, 9. — (2) Eccli. XXXI, 8, 10.

109. Objic. 3.° In ordine physico multae sunt perturbationes vel terrae, vel maris, vel aeris, vel plantarum et bestiarum. Ergo aliquid perfectionis in providentia desideratur.

Resp. Dist. *ant.* Sunt perturbationes respectu finis primarii; nego. Quoad finem secundarium; subd. Ita ut haec perturbatio sit formalis, id est, praeter sapientem intentionem; nego: ita ut, sit materialis, puta, combustio ligni ad calefaciendum: conc.

110. Objic. 4.° Saltem mala moralia ordini absolute adversantur, ita ut, sint praeter, imo contra intentionem Dei. ut in Resp. ad 2.° dictum est. Ergo in his deficit Providentia.

Resp. Dist. *ant.* Contra intentionem Dei absolutam; nego *ant.* Conditionatam; subd. Permittente Providentia; conc. Aliter; nego. Nempe non effugiunt Providentiam mala moralia, quia licet non sequantur ex illius intentione, non eveniunt sine ejusdem permissione.

Deinde *consequentia* negatur. Nam quod mala moralia existant non est defectio Providentiae efficientis; quia ea non efficit: neque defectus ejusdem permittentis; quia permissio non est sine sufficienti ratione, ideoque est pars perfectiva Providentiae. Praeter autem illas, quas Deus novit, permittendi causas, plures SS. PP. explicant, quae generatim eo spectant, quod majoribus illa mala compensentur bonis. Ex. gr. merita eorum qui libere, cum peccare possint, non peccant; splendor humilitatis ac poenitentiae in illis qui a malis eriguntur; gloria divinae sanctitatis et justitiae in iis malis plectendis; merita et mors Filii Dei pro iniquitatibus universis delendis exhibita. Haec quidem bona longe superant bonum illud, quod in rerum ordinem redundaret, si a malis perpetrandis fuissent creaturae peccato obnoxiae impeditae.

THESIS XI.

Creaturae omnes divina virtute in esse conservantur.

111. *Praenotandum.* Docet sanctus Thomas rerum conservationem partem esse divinae providentiae; ideo thesim hanc hic ponendam censemus. Et sane, cum creaturae, postquam conditae sunt, illico finem minime assequantur; sed paulatim disponantur, et tandem ab imperfecto ad perfectum perveniant, uti constans docet experientia, inde necessum est ut providentia, cujus est res omnes ad finem ducere, ab earum conservatione exordiat.

Dicimus *divina virtute* res conservari, id est, positive; nam *negativa* conservatio, quod, scilicet, a Deo non destruantur et in nihilum redigantur, non satis doctrinam explicat catholicam, imo fidei: censeo enim ad fidem thesim hanc pertinere.

112. Prob. 1.^o Concil. Vat. (1) docet: «Universa quae »condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a »fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.» Quibus in verbis nota: *universa* ait; sive substantias, sive accidentia, sive simplicia, sive composita, sive spiritualia, sive corporea. *A fine usque ad finem*: sive quoad primum esse, sive quoad ultimam perfectionem. Nota denique positivum influxum: *tuetur* atque *gubernat*; *attingens fortiter*; *disponens omnia*.

113. 2.^o Scriptura S. confirmat. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?* (2). Igitur, ut res permaneant et conserventur opus est etiam Dei voluntate et actione, quemadmodum ut creentur; quae actio vocatio dicitur, ut Apostolus loquitur (3): qui vivificat mortuos, et vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt.

Hinc pari modo ad Verbum, Dei Filium, spectat et res condere, et conservare (4): *Per quem fecit et secula, qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae. Omnia per ipsum creata sunt, et omnia in ipso constant.* «Non solum »Ipse, ait Chrysostomus (5), ea ex nihilo ad hoc ut essent »produxit, sed et idem Ipse nunc quoque ea conservat et tuetur. »ita ut, si ipsius cura destituerentur, mox perirent et corrumpere- »rentur.»

Eodem intelligunt sensu Patres illa Christi verba (6): *Pater meus, usque modo operatur et ego operor.* Sic Augustinus (7): «Crea- »toris namque potentia... causa subsistendi est omni creaturae, quae »virtus ab eis quae creata sunt regendis, si aliquando cessaret, »simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret.»

114. 3.^o Origenes dicit (8): «Quomodo in Deo vivimus, et mo- »vemur et sumus, nisi quia, virtute sua universum constringit et »continet mundum?» Et Hieronymus (9): «Semper largitor, »semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi »semper donaverit.» Damascenus etiam (10): «Istud univer- »sum constituit et continet et conservat et providentia sua regit.» Deus nempe. S. Gregorius (11): «Sunt haec omnia, sed »principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et »nisi gubernanti manu teneantur, esse nequaquam possunt.»

115. 4.^o Ratione probatur. a) Ideo opus est actione Dei, ut res quaelibet incipiat esse seu existere, quia ex se est contingens, in- differens ad esse vel non esse. Atqui res quaelibet, quae coepit exis-

(1) C. Dei Filius, cap. 1.—(2) Sap. XI, 26.—(3) Rom. IV, 17.—(4) Hebr. I, 2, 3; Coloss. I, 16, 17.—(5) Hom. 3, in epist. ad Coloss.—(6) Jo. V, 17.—(7) De Genesi, l. 4, c. 12.—(8) Periarch. l. 2, c. 1.—(9) Ep. 133 ad Ctesiph. 6.—(10) De Fide, l. 1, c. 3.—(11) Moral. l. 16, c. 16.

tere, est etiam contingens, indifferens ad conservari vel non conservari in esse; ergo indiget quoque actione Dei ut conservetur in esse seu existere. *Minor* prob. Esse cuilibet contingenti advenit ab extrinseco, contingentia autem et indifferentia est ei intrinseca, cum ex semetipso sit tantum possibile, non autem actuale; ergo res quaelibet quae existere coepit, est etiam contingens et intrinsecus indifferens ad conservari vel non conservari.

b) Esse cujuslibet rei incipientis existere, est virtualiter distinctum ab esse ejusdem perseverantis in existentia. Atqui ens necessarium, Deus scilicet, est principium, seu causa efficiens, exemplaris et finalis omnium; ergo est etiam causa efficiens, exemplaris et finalis durationis omnium. *Major* patet facile: virtualiter ea distinguuntur, ut alibi dictum (1), de quibus contradictoria asserti possunt. Atqui dicuntur contradictoria de esse rei incipientis existere, et de eodem durante et perseverante: ergo in esse ejusmodi est virtualis concedenda distinctio. *Minor* prob. De esse rei, quae existere incipit, vere dicitur: «antea non erat:» de eodem durante, vere etiam dicitur: «antea erat.» Sed antea non erat, antea erat, contradictoria sunt. Item; de re, quae incipit existere, dicitur: «non coexistit rei »successivae»; de re autem quae conservatur et durat, dicitur: «coexistit rei successivae.» Atqui coexistere et non coexistere rei successivae, sunt asserta contradictoria. V. Suarezium (2).

c) Nisi Deus positive conservaret creaturas in esse, oporteret ut actione aliqua positiva eas ad nihil reduceret. Atqui nihil non potest terminus existere actionis positivae; ad nihil namque nihil potest requiri; ergo nihilatio, seu ad nihilum reversio per cessationem tantum actionis conservantis perfici et concipi potest.

116. Coroll. Inde intelliges, cur rerum conservatio dicatur, *continuata creatio*: habet enim eundem cum actione creativa terminum esse, nempe, seu rei existentiam uti permanentem: item elucet, quod Dei sit proprium rem aliquam posse in nihilum redigere; nam nulla creatura habet pro termino et objecto virtutis suae effectum universalissimum *essendi*, ut retro dictum fuit (3).

117. Obj. 1.^o Experientia testatur esse in rebus ipsis vires, quibus suam tuentur existentiam: ergo se ipsas conservare, quandiu sunt, censendum est; quemadmodum se ipsas, viribus suis movent, vegetant et vivunt, adjuncto tantum generali Dei concursu, de quo supra dictum est.

Resp. Dist. *Ant.* In rebus simplicibus et incorruptilibus sunt vires quibus tuentur suam existentiam; nego *antec.* In rebus corruptilibus sunt ejusmodi vires; subdist.; quibus tuentur suam

(1) Disq. V, n. 123.—(2) De Angelis, l. I, c. IX, n. 9.—(3) Disq. VI, n. 16, etc.

existentiam *indirecte*; removendo corrumpentes causas; conc. *ant.*: *directe*; iterum subdistinguo: *directe* tuentur suam existentiam *immediate*; nego *ant.*; *mediate*, scilicet, disponendo media necessaria ne res corruptibiles dissolvantur; concedo *antec.* Deinde nego *consequentiam*, juxta traditam distinctionem.

118. Igitur, nullibi docet experientia, vires aliquas creatas ad entia incorruptibilia immediate conservanda a natura adhiberi: inde si ea, quae simplicia dicuntur, corpora, puta, oxigenium, aurum, carbo etc. vere simplicia forent, quod supponit alchimia; nullis propriis vel alienis indigerent viribus ad sui conservationem, praeter Dei virtutem, a quo suum esse susceperunt; quemadmodum neque illis opus habent formae spirituales subsistentes. Quoad res autem corruptibiles; uti aqua, vinum, resque omnes organicae, quia subjacent causis gignentibus et corrumpentibus, pariter per alias tueri et praeservari possunt; sicut aquae maris per ventos et tempestates, quibus concitantur; aves alis, rostro et unguibus, etc.: unde *indirecte* suam tuentur existentiam. *Directe* quoque alia suum esse conservant, novas sibi adsimilando partes, vel amissas instaurando: verum cum actiones hujusmodi praerequirant principium essendi et vitale, è quo oriuntur, non est conservatio immediata suae existentiae et formae constitutivae. Utrum autem adsint causae aliquae *directe* ac immediate corruptibilia conservantes, non facile dixeris. Sane videmus corruptibilia passim gigni a certis causis; uti vermes a carnibus, vel in carnibus, adjuncto calore; aqua ab oxigenio et hydrogenio, accedente vi electricitatis; etc. etc. Unde cum rerum similium productio vires creatas non praetergrediatur, neque conservatio easdem superare dicenda est; sive rebus ipsis vires istae inhaereant, sive extrinsecus influant, uti antiqui censebant philosophi (1), qui astris munus hujusmodi concedebant, teste Angelico Doctore. Quo concessio, planum est munere causae secundae solum posse vires creatas in rerum hujusmodi conservatione. Verum, si rerum velimus experientia duci, haec edocet; quod peracta corruptibilium corporum generatione, uti aquae, plantarum, animalium, etc. illico ab iis recedunt principia generativa, vel totaliter evanescent ac pereunt. Vis electrica, ex. g., quae aquam ex hydrogenio et oxigenio effecit, cito extinguitur; principia quibus plantarum et animalium semina fecundantur, nullam deinceps in iisdem ostendunt actionem. Jam vero quod astra, vel ignotae causae creatae, ejusmodi sibi assumant munus *directe* et immediate substantias istas in existentia conservandi, gratis effingeremus: censemus igitur novas ejusmodi quotidie genitas rerum

(1) P. I. q. 104, a. 1.

materialium formas, a solo Deo simul cum materia, cui insunt, conservari; donec aliae generationes et corruptiones illas perire exigant.

THESIS XII.

Deus in omni operanti etiam operatur; movet quoque intellectum et voluntatem.

Nota. Quasi corollariam praecedentium dici haec thesis potest.

119. 1.^a Pars Prob. 1.^o In rebus aliquae causae operantur ut *finis*; atqui Deus est finis universalis et ultimus omnium, sicut supra dictum est; ergo in omni operanti tamquam fine, Deus simul operatur.

Confirm. Omnis operatio ad aliquod bonum, verum vel apparens tendit. Atqui eatenus est aliquid vere vel apparenter bonum quatenus participat similitudinem summi boni, quod est Deus; ergo cum quolibet fine operatur Deus. Sic D. Thomas (1); ostendit nempe haec ratio, Deum *mediate* esse cujuslibet operationis causam finalem, quatenus quaevis operatio ad aliquam tendit summi boni similitudinem.

120. 2.^o Causae plurimae operantur in rebus tamquam agentes, seu efficientes, de quibus supra dictum est (2). Atqui Deus ad omnem actionem causarum efficientium concurrat tamquam ejusdem actionis causa: ergo Deus in quolibet efficienter operanti operatur. *Minor* ibidem (3) probata est.

Confirm. Si multa sint agentia ordinata, secundum agens agit in virtute primi, ut notat Angelicus (4). Atqui Deus est prima omnium causa efficiens; ergo omnia agentia agunt in virtute ipsius Dei, et ita causa est omnium actionum agentium. Quidem triplici modo, vel duplici potius movet res Deus ad operandum, juxta Angelicum.

121. a) Primo *quasi applicando* formas et virtutes rerum ad operationem: sic artifex est causa incisionis per securim, et cocus decoctionis per ignem; non quia ille proprie et immediate incidat, et hic coquat; sed quatenus applicant formam securis et virtutem ignis. Nam Deus, suum exhibendo concursus tribuit causis, ut suam possint emittre actionem; et insuper est causa ordinis et motus rerum, unde activa passivis aproximantur; ergo *quasi* applicat causas ad agendum.

b) Secundo, Deus tribuit omnibus agentibus formas et virtutes quibus operantur, et quidem secundum *esse* ipsarum, quod inter

(1) P. I, q. 105, a. 5.—(2) N. 79.—(3) 81, etc.—(4) P. I, q. 105.

omnia, est magis intimum ipsis rebus. Atqui quod dat formam et virtutem, quae est principium actionis, est causa actionis ipsius; sicut generans rem gravem, puta aquam, dicitur causa motus gravitatis ipsius; et generans rem levem, puta, ignem, hydrogenium, etc, dicitur causa motus levitatis ejusdem; et universim, «quod est »causa causae est causa causati:» ergo Deus intime in omnibus operatur.

Denique, non tantum dedit, sed conservat etiam Deus formas et virtutes rerum: ergo sicut sol dicitur causa manifestationis colorum, quia conservat lumen in aëre, sic Deus est causa actionum causarum omnium, quia conservat earum formas et virtutes. Hic tamen cooperandi modus ad primum (a) redit; conservatio enim est continuata creatio.

II.^a Pars prob.

122. *Nota.* Haec pars est primae consecrarium, ut planum est. Verum quia in ea de speciali sermo est operatione, sat erit indicare specialem movendi modum, quo intellectum et voluntatem prima causa movet.

a) 1.^o Ad intelligendi actum duplex concurrat principium, ut alibi notavimus (1): alterum *subjectivum*, *objectivum* alterum; primum est virtus ipsa, seu potentia intellectiva, secundum est objectum ipsum, seu species objecti vicaria. Atqui utrumque a Deo dimanat, qui primum est intelligens et primum intelligibile: «ab ipso est omnis virtus intelligendi: omnes rationes rerum intelligi- »les primo existunt in Deo, et ab eo derivantur in alios intellectus, »ut actu intelligant; sicut etiam derivantur in creaturas, ut sub- »sistant (2).» Ratio generalis est: «Sicut in motibus corporalibus »movens dicitur quod dat formam, quae est principium motus; ita »dicitur movere intellectum quod causat formam quae est princi- »pium intellectualis operationis, quae dicitur motus intellectus.» (ibid.)

123. b) Eadem ratione elucet, quomodo Deus moveat voluntatem. Actus voluntatis procedit a virtute volendi, tamquam principio subjectivo; et a bono, tamquam principio objectivo. Atqui virtus volendi a solo Deo causatur: tamquam objectum, solus Deus est bonum universale; alia autem sunt bona particularia, quatenus participant aliquam similitudinem summi boni: ergo solus Deus implet voluntatem, ut sufficienter et efficaciter eam moveat ut objectum illius, quod est bonum universale (3); vel ineffaciter per bona particularia. Ad rem notanda etiam, quae alibi dicit (4) S. Doctor: «Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis

(1) Disq. IV, n. 115.—(2) P. I, q. 105, a. 3.—(3) Ibid. a. 4.—(4) L. 2, q. 9, a. 6, ad 3.

»motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine »hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo »per rationem *determinat* se ad volendum hoc vel illud, quod est »vere bonum, vel apparens bonum.»

124. Obj. 1.^o Unicuique agenti sufficiens inest virtus ad proprias et naturales operationes; quippe *Dei perfecta sunt opera*; ergo inutiliter adjungitur Dei operatio.

Resp. Dist. *antec.* Unicuique agenti, tamquam causae secundae, sufficiens inest virtus; conc. *antec.* Quasi causae primae et independenti; nego.

125. Obj. 2.^o Moveri voluntarie est ex se, seu ex principio intrinseco, moveri. Sed si voluntas a Deo moveretur, motus illius esset a principio extrinseco: ergo esset simul voluntarius et involuntarius.

Resp. Dist. *maj.* Quatenus motus voluntarius active seu ex parte potentiae efficitur, conc. *maj.* Quatenus specificative seu ex parte objecti completur; nego. Item *min.* distinguo. Si voluntas a Deo moveretur, quatenus est principium principii intrinseco seu virtutis volendi; nego *min.* «Quia sic moveri ex se non repugnat ei »quod est moveri ab alio; (1).» Si voluntas a Deo moveretur, quatenus illam Deus ad actum determinaret, motus illius esset ab extrinseco; conc. *min.* Deinde, nego *consequentiam.*

Iust. 1.^o Non solum dat Deus principium intrinsecum seu volendi virtutem, sed concurrat, juxta dicta, immediate ad actiones causarum secundarum; ergo actus voluntatis est ab extrinseco.

Resp. dist. *antec.* Concurrat Deus concursu simultaneo; conc. Concursu praevio et voluntatis concursum seu actionem determinante; nego *antec.* Distinguo etiam *consequens*: actus voluntatis est ab extrinseco *determinatus*; nego *consequentiam*; ab extrinseco, *simulque* ab intrinseco effectus; concedo *consequentiam.*

126. Inst. 2.^o Doctor Angelicus addit tertium cooperandi modum cum causis secundis (2): quatenus non sola virtute propria agunt, sed etiam per aliquam virtutem a Deo participatam; sicut instrumenta artificis, cujus virtute moventur ad opus: sed motio instrumenti ab artifice non est *simul* cum actione illius, sed prior; non ergo sufficit concursus simultaneus.

Resp. Dist. *antec.* Addit sanctus Doctor tertium cooperandi modum, *realiter* distinctum a concursu simultaneo; nego *antec.* *Ratione* tantum distinctum; permitto, vel concedo.

Actio Dei et creaturae una eadem est, teste sancto Doctore (3);

(1) P. I, q. 105, a. 4, ad 2.—(2) Qq. Disp. de *Potentia*, q. 3, a. 7.—(3) P. I, q. 105, a. 5, ad 2.^m